



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historiæ Augustæ Scriptores VI**

Ælius Spartianus. Vulc. Gallicanus. Julius Capitolinus. Trebell. Pollio. Ælius Lampridius. Flavius Vopiscus

**Spartianus, Aelius**

**Lugduni Batavorum, 1671**

De Timolao, XXVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51232](#)

## DE TIMOLAO, XXVII.

<sup>28</sup> **D**E hoc ea putamus digna memoria quæ de fratre sunt dicta. Unum tamen est quod eum à fratre separat, quod tanti fuit ardoris ad studia Romana, ut brevi consequutus quæ insinuaverat grammaticus, esse dicatur: 'potuisse quinetiam summum Latinorum rhetorem facere.'

## DE CELSO, XXVIII.

<sup>29</sup> **O**ccupatis partibus Gallicanis, Orientalibus, quin etiam Ponti, Thraciarum, & Illyrici, dum Gallienus popinatur & balneis ac lenonibus deputat vitam, Afri quoque autore Vibio Passieno, proconsule Africæ, & Fabio Pomponiano duce limitis Libyci, Celsum imperatorem appellaverunt, <sup>2</sup> peplo deæ Cœlestis ornatum. <sup>3</sup> Hic privatus ex tribunis in Africa positus, in agris suis vivebat: sed ea justitia, & corporis magnitudine, ut dignus videretur imperio. Quare creatus per quandam mulierem, Gallienam nomine, consobrinam Gallieni, septimo imperii die interemptus est, atque adeo etiam inter obscuros principes

VIX

## CASAUBONI.

<sup>1</sup> Potuisse quinetiam summum Latinorum rhetorem facere. ] Facere pro evadere vel fieri. insolens loquendi modus.

<sup>2</sup> Peplo deæ Cœlestis ornatum. ] Quia aliunde purpura non suppetebat ad amiciendum novum Augustum necessaria, detraxerunt hujus deæ simulacro. sic Saturninus, auctore Vopisco, deposita purpura ex simulacro Veneris, adoratus est. vide ad Gordianos. Quod autem soliti fuerint veteres simulacula suorum numinum vestibus induere, nō tirones quidem nesciunt.

<sup>3</sup> Hic privatus ex tribunis in Africa

positus, in agris suis vivebat. ] Privatus ex tribunis, id est, jani privatus, qui fuerat ante tribunus. sic, ex ducibus, & similia, de quibus supra.

## SALMASIUS.

<sup>1</sup> Potuisse quinetiam summum Latinorum rhetorem facere. ] Elegantissimæ locutionis genere, rhetorem facere heic dicitur, qui fit rhetor, vel rhetor erudit. quasi qui de se gignit & dat rhetorem. non dissimili modo Spartanus dixit, hastam duas partes facent, quæ per medium in duas partes scinduntur, ita ut ex una due quasi sint hastæ. paulo aliter apud Vegetium plaga dicitur vermes facere, quæ vermis ebullit.